



## **Scholia In Primarias Preces Imperatoris**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

XV. Precista committens crimen privatione dignum ex quo factus sit irregularis, an postea alias Preces à Cæsare impetrare possit

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

*Precista  
fallit  
crimino-  
sus an a-  
liar. Pre-  
ces à Ce-  
sare im-  
petrare  
pōtūt.*

Verū ē diverso quæritur, si Precista fiat inhabilis, vel irregularis, aut cri-  
men commisit, quod privationem inducit ipso iure, sicque nominatione sua  
exciderit, an is postea alias Preces à Cæsare impetrare poterit? Pro negativa  
facit quod si rursus admittatur, ludibrio erit prior privatio, c. *commissa*, de E-  
lectio. in 6. Clem. ne in agro, §. *ceterum*, de statu Monach. L. *prætor*, ff. de iudic. Nihilominus affirmativa verior est, probaturque argumento à contrario sensu: nam  
si quis fuerit adeptus secundum beneficium incompatible cum primo, ipso  
iure est privatus primo, ad quod redire non potest sine nova collatione, Ex-  
tr. *avag. execrabilis*, §. *statuimus*, de præb. ergo à contrario sensu cum nova colla-  
tione redire poterit, per c. 2. de renunciat. atque ita pari ratione poterit alias no-  
vas Preces impetrare, earumque vigore beneficium obtinere.

*An Cæsar  
Precista  
contra-  
henti ma-  
rimonio  
possit al-  
terum sur-  
rogare?*

DECIMO QUINTO quæritur, si Precista contrahat matrimonium, aut spū-  
salia de præsentī, quo casu Precista suis censetur renunciare Precibus, gl. & DD.  
in c. uno. de cler. coniug. in 6. an Cæsar possit huic alterum surrogare? Ita videri-  
tur: quia quamdiu Preces non sunt sortitæ effectum, Jus nominandi Cæsari  
competens non censetur extinctum, per ea quæ supra ostendi in glo. *verū quod*  
*si per te vers. quinto* quæritur. Ad quid si contraxerit matrimonium & non ten-  
uerit? dicendum Precistam non excidere suis Precibus per Reg. non præstat  
impedimentum quod de iure non sortitur effectum, de Reg. iur. in 6. Imò, qui  
impetravit primam vacaturam, & interim uxorem duxerit, poterit nihilomi-  
nus si tempore vacantis præbendæ uxor sit mortua, primam vacaturam ob-  
tinere, verba sunt Angeli in §. 1. n. 1. in ff. *Quibus mod. ius pat. potest sol.* In quo ta-  
men ego subsisto. Cæterum quod dixi in casum matrimonii posse Cæsarem  
Precistæ alterum surrogare: Extende 1. si Precista suis Precibus renunciave-  
rit, quia potest quis privilegio in suum favorem introducto renunciare, L. *si*  
*quis in conscribendo*, C. de Episcopis & Clericis, cap. *si diligenti*, de foro competentī; id-  
que sive expressè, sive tacitè, quia hoc casu tantum operatur tacitum, sicut ex-  
pressum, arg. *L. cum quid*, ff. *si certum petatur*, & *ibi laic. las. eoq.* casu alterum, sur-  
rogabit, per prædicta. Tacitè autem censetur renunciare, si Precista efficiatur  
miles; qui enim arma militaria exercet, perdit privilegium Clericorum: quia  
facit actum contrarium clericatui, Innoc. in cap. 1. in Audientia, de sentent. excom.  
Imò perdit beneficium si quod habet, *Flami. Paris. de Resig. benef. lib. 1. quæst. 1.*  
*n. 22.* & ita in terminis decidit Senatus Sabaudie apud Ant. Fabrum l. 1. de sen-  
for. tit. 3. de s. 25. Idemque dicendum de milite cœlestis militiæ: unde si Pre-  
cista cucullam monasticam sumat, professionemque emittat, cadit iure Pre-  
cium, *Probus tract. iuris Regalium quæst. 6.* potestque denuo Cæsarium in eius  
locum surrogare, *iuribus dictis*.

DECIMO SEXTO quæritur, an Cæsareæ Preces sint iuris favorabilis, vel  
odiosi. Pro affirmativa facit quod pontifex motus fuit ob favorem, & me-  
rita

PRIVILEGIUM  
REGULARIUM  
ET  
COMMENTARIUM  
IN REGULAS  
CANCELLARIUM  
APOSTOLICARUM  
L. III  
8